IN NUPTIIS
VIRI OMNI DOCTRINA ATQUE HUMANITATE CONSPICUI

IOANNIS DANIELIS ANDREAE

IURIS UTRIUSQUE PRACTICI

CUM

VIRGINE

PROBITATE MORUMQUE ELEGANTIA ATQUE VIRTUTIBUS

EXORNATISSIMA

REGINA CONSTANTIA

PLURIMUM REVERENDI EXCELLENTISSIMI ATQUE DOCTISSIMI

DN. M. PETRI IAENICHII

V. D. M. RECTORIS ET P. P. O.

GYMNASII THOR. MERITISSIMI

FILIA

ANNO MDCCXXXIV d. IX. NOVEMB. celebratis
hocce publicum partim demissæ
observantiæ, partim perpetuæ amicitiæ gratique animi documentum
cum voto omnigenæ felicitatis extare voluit
IOAN. DAN. HOFFMANN Thor. Gymn. Coll.

Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

ET TV doloſis captus amoribus ?
Num ſolitudo tædia jam parit,
Panditq; valvas ? Hem! quã oberrat
Vita Tua irreqvieta pulchre!

Tranqvillioris reſpice protinus
Sortis decorem: num qva moleſtia
Confabulando, vel jocando
Impetiit caput haud ſubactum

Cura jugali ? Non opulentiam
Crœſi ſuperbam; non renitentia
Gangetis Euphratisque gemmis
Littora, conſita tortuoſis

Ramis per agros, deliciis fere
Incomprehenſos; non Tiberis domos
Splendore mirandas Qviritum
Complacuiſſe magis putabis.

Qvam dulce! ſolis cum vigil ignibus
Riſit caminus, conſociabiles
Inter ſodales, nec quietem
Frons caperata procul recidit.

Incurioſi, qvale negotium
Curet propinqvus, qveis furiis domum
Clamoſa conjux acta complet,
Qvid teneræ ſobolis querelæ,

Aut

Aut vagientis gutta rigans genas,
Qvam menſa multis lautitiis cibi
Inſtructa, qvo cultu virago
Cincta peplo tenui ſuperbit.
At fixa promptis lumina ſcriniis
Explere, lecto, qvem cupias, libro,
Et qvæ Themiſtos plena frugis
Scita, reponere mente fida,
Verſare priſci docta volumina
Aevi, recentis noſſe vel æmulos
Orbis labores, reſque geſtas
Sarmatici populi; hoc placebat.
Nec TĒ movebit? cum miſerabili
Qvaſſata belli turbine patria
Cum cive luget, qui peroſus
Lætitiam, pavet ac tremiſcit.
Ventura qvæ ſint tempora neſcius.
Hæc fata miles cum geminat, valens
Audacia mentis feroci
Ac minitantia verba jactat,
Horrenda diris, qveis teneræ ſtupent
Aures, timentes fulmina cælitus
Lapſura, perruptoque tecto,
Ignibus atria territura.

Fruſtra

Frustra laboro; subdere TE jugo
Iam svave ducis, qvasque SOROR fores
Dilecta non dudum reclusit,
Insolito esse jubes patentes.
Qvidni patescant? qvid dare mollibus
Collum recuses sollicitum jugis?
Nil, credo, libertas ligata,
Talia vincula cum peroptas.
Qvid, qvæso, SPONSA VIRGINE dulcius?
Oris venustas, blanda modestia,
Mores paterni candidique
Condecorant animum probatum
Virtute multum; cui Pietas manus
Spectata jungit, ceu decus optimum.
Hæc dura quævis ac molesta
Consilio faciet migrare:
Nudamque reddet sollicitudine
Vitam, perenni prospiciens fide,
Vt pristino non mota statu
Sors magis atque magis virescat.
Deesse vitæ sic nihil arbitror
Feliciori: læta PARENTIBVS
Clarisque COGNATIS futura
Connubialia jura credens.